



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 30. S. Gregorius Nazianzenus Pater.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV. tur, ut Episcopi ex omnibus Provinciis  
 A. C. 326. Sede Alexandrina dependentibus, conve-  
 nirent. Hanc Sedem quadraginta sex  
 annis integris tenuit, si enim ætatem ejus  
 spectes, necdum tantæ Dignitatis fasti-  
 gio maturus videri poterat.

## §. XXX.

*S. Gregorius Nazianzenus Pater.*

*Sup. §. 4.* *Greg. Naz.* *orat. 19. p.* *289.* Diximus superius a Leontio Episcopo  
 Cæsareæ in Cappadocia, cum ad  
 Concilium Nicænum proficisceretur,  
 Gregorium, exinde Episcopum Nazian-  
 zenum, Theologi Patrem, veram fidem  
 fuisse edoctum. Gregorius profitebatur  
 sectam Hypsistariorum, ita dictorum,  
 quod Deum altissimum adorarent, græce  
*Hypsistos*; præterea vero ignem, & faces  
 colebant, atque sabbatum, distinctionem  
 carniū comedendarum cum Judæis ob-  
 servabant. Gregorius moribus vivebat  
 optimis, justitiæ amans, castitatem con-  
 jugii cum uxore sua Nonna, raræ virtu-  
 tis Christiana muliere, servans, cujus ma-  
 xime pietas ad convertendum maritum  
 occasione fuit. Cum igitur suscipiendæ  
 fidei desiderio teneretur, id ipsum Episco-  
 pis ad magnum Concilium per locum  
 ejus domicilii migrantibus, præsertim  
 autem S. Leontio Cæsariensi manife-  
 stum fecit. Cum eum docerent, incogi-  
 tantes

tantes jufferunt genua flectere, quamvis Sæculum IV.  
catechumeni stantes instrui solerent, C. A. 326.  
quod, casu factum, in futuri ejus Episco- ibid. p.294.  
patus omen traxerunt, quia jam tunc  
Episcopus ordinandus genua flectebat.  
Non multo abhinc tempore baptizatus,  
& balneo sacro egrediens, tam insolita,  
& visibili luce circumdatus est, ut Epis-  
copus Nazianzenus, qui ipsum baptiza-  
bat, exclamaret, hunc aliquando suum  
fore successorem.

Dictum eventus probavit; elapsis ibid. p.296.  
quibusdam annis, satis examinatus Gre-  
gorius ad Episcopatum ejusdem urbis  
evectus est. Id factum creditur circa  
annum 328. Tunc forte annos natus  
quingenta, tamen & alios ultra qua-  
draginta quinque supervixit, ita ut cen-  
tenario non multum minor obierit.  
Quamvis tarde ad studium SS. Scriptu-  
ræ se impenderit, modico tamen tempo-  
re, ita profecit, & gregem suum infor-  
mavit, ut ab erroribus Arianorum, per  
Orientem omnia turbantium, immunes  
præstiterit, morumque feritatem populi  
sui temperaverit; hætenus quippe urbs  
Nazianzum parva, ignobilis fuerat, in  
Cappadocia Cæsareæ vicina.

Ex Gregorii, & Nonnæ connubio tres  
liberi suscepti sunt, duo filii, Gregorius,  
& Cæsarius, & filia una, nomine Gorgo-  
nia, quam natu maximam fuisse credunt.

*Hist. Eccles. Tom. III.*

P

Gre-

Sæculum IV. Gregorius precum maternas fructus  
 A. C. 326. fuit, quibus Deum instantissime depre-  
 cabatur, ut sibi prolem masculam con-  
 cederet, quem etiam, ubi lucem aspex-  
 rat, statim Deo obtulit, manusque ejus  
 Sacris libris admovendo eorum contactu  
 consecravit; ab infantia libros sacros  
 cœpit legere, animumque exhibuit vir-  
 tutis apprime studiosum. In puerilibus  
 annis adhuc agentem somnium Mysticum  
 ad virtutum amorem excitavit; conspi-  
 cere sibi videbatur puellas duas, ætate  
 pares, in paucis venustas, vestitu candi-  
 do splendentes, sed sine cultu quæsitæ;  
 utramque vivam modestiæ effigiem cre-  
 debat. Hæ puerum, tanquam Filium  
 osculis, & blanditiis mulcebant. Ipse  
 tenerrimo gaudii sensu abreptus, quæ-  
 nam essent, & quo nomine interrogaret  
 respondit una: *ego vocor castitas, & al-*  
*tera: ego temperantia; ante Thronum*  
*Jesu Christi stamus, permixtæ choris ce-*  
*lestibus, jungite te nobis, fili mi! usque ad*  
*lucem immortalis Trinitatis te evehemus.*  
 Hæ elocutæ in cœlum avolarunt, & ipse  
 oculis eas secutus, evigilavit. Ex tunc  
 amore Virginitatis correptus, nuptiis re-  
 nunciavit. Talia fuere juvenis Gregorii  
 initia.

*Carm. I.*  
*p. 39.*

*Carm. 4.*  
*p. 71.*